

# En coulisses



Vue de l'actuelle ville haute de Constantine  
[l'antique Cirta, capitale du roi numide Syphax]

Il y a 12 ans, nous avons présenté des textes de l'Histoire Romaine de Tite-Live portant sur la période allant des origines jusqu'à la prise de Rome par les Gaulois en -390. Maintenant, nous resterons **en coulisses** en traitant de quelques événements de la fin du troisième siècle avant J.-C., mais en évitant les grandes batailles de la deuxième guerre punique, qui sont fort connues par ailleurs.

## **Dossier établi par Claude Aubert (2024)**

Les textes et les préparations sont téléchargeables sur le site :  
<https://www.douziemeheure.ch/2/>

La photo de la page de garde a été faite par Claude Aubert

### **Table des matières**

<b>Textes</b>		page
Séance 1	Avant la guerre	3
Séance 2	La marche sur l'Italie	7
Séance 3	Annibal en Italie	11
Séance 4	La guerre passe en Afrique	15
Séance 5	Sophonisbe	19
Séance 6	La Lex Oppia	24

### **Vocabulaires** (dans un fascicule séparé)

Séance 1	Avant la guerre	1
Séance 2	La marche sur l'Italie	6
Séance 3	Annibal en Italie	12
Séance 4	La guerre passe en Afrique	17
Séance 5	Sophonisbe	22
Séance 6	La Lex Oppia	26

# En coulisses

## Textes de la séance 1 : Avant la guerre

Tite-Live, **Histoire romaine**

### Le serment d'Annibal (livre XXI)

*En 221 avant J.-C., Annibal (Hannibal Barca), âgé de 26 ans, prend la tête de l'armée carthaginoise d'Espagne après les décès de son père Hamilcar Barca et de son beau-frère Hasdrubal le Beau. Mais, d'après la tradition romaine, il s'y préparait depuis longtemps.*

**1** [4] Fama est etiam Hannibalem annorum **ferme** novem, pueriliter **blandientem** patri Hamilcari ut duceretur in Hispaniam, cum perfecto **Africo bello** exercitum eo traiecturus sacrificaret, **altaribus admotum** tactis sacris iure iurando **adactum** se **cum primum** posset hostem fore populo Romano.

### Portrait d'Annibal (livre XXI)

**4** [1] Missus Hannibal in Hispaniam primo statim aduentu omnem exercitum in se conuertit; [2] Hamilcarem iuuenem redditum sibi ueteres milites credere; eundem uigorem in uultu uimque in oculis, **habitum** oris **lineamenta**que **intueri**. Dein breui effecit ut pater in se minimum **momentum** ad fauorem conciliandum esset. [3] Nunquam ingenium idem ad res diuersissimas, parendum atque imperandum, habilis fuit. Itaque haud facile discerneres utrum imperatori an exercitui carior esset; [4] neque **Hasdrubal** alium quemquam **praeficere** malle ubi quid fortiter ac strenue agendum esset, neque milites alio duce plus confidere aut audere. [5] Plurimum audaciae ad

pericula **capessenda**, plurimum consilii inter ipsa pericula erat. Nullo labore aut corpus fatigari aut animus uinci poterat. [6] Caloris ac frigoris **patientia** par; cibi **portionisque** desiderio naturali, non uoluptate modus finitus; uigiliarum somnique nec die nec nocte **discriminata** tempora; [7] id quod gerendis rebus superesset quieti datum; ea neque molli **strato** neque silentio **accersita**; multi saepe militari **sagulo opertum** humi iacentem inter custodias **stationesque** militum conspexerunt. [8] Vestitus nihil inter aequales excellens : arma atque equi conspiciebantur. Equitum peditumque idem longe primus erat; princeps in proelium ibat, ultimus **conserto** proelio excedebat. Has tantas uiri uirtutes ingentia uitia aequabant, inhumana crudelitas, perfidia plus quam Punica, nihil ueri, nihil sancti, nullus deum metus, nullum ius iurandum, nulla religio. Cum hac **indole** uirtutum atque uitiorum triennio sub Hasdrubale imperatore **meruit**, nulla re quae agenda uidendaque magno futuro duci esset **praetermissa**.

## Une ruse d'Annibal (livre XXII)

*L'épisode ci-dessous (-217) est postérieur à notre sujet, mais nous l'avons mis là parce qu'il illustre bien les qualités que Tite-Live prête à Annibal dans le portrait qu'il en a fait ci-dessus. Au cours de ses déplacements en Italie dans un terrain qu'il ne connaissait pas, il s'était fait piéger par les Romains et enfermer dans une vallée sans issue proche de la ville de Casilinum (actuelle Capoue) et dominée par la crête de Callicula.*

**16** [5] Nec Hannibalem **fefellit** suis se artibus peti. Itaque cum per Casilinum euadere non posset petendique montes et iugum Calliculae superandum esset, **neubi Romanus** inclusum uallibus agmen adgrederetur, [6] **ludibrium** oculorum specie terribile ad **frustrandum** hostem **commentus**, **principio** noctis furtim **succedere** ad montes statuit. **Fallacis** consilii talis **apparatus** fuit. [7] **Faces** undique ex agris collectae **fascisque uirgarum** atque aridi sarmenti **praeligantur** cornibus boum, quos domitos indomitosque multos inter ceteram agrestem praedam agebat. [8] Ad duo milia ferme boum effecta, Hasdrubalique negotium datum ut nocte id **armentum accensis** cornibus ad montes ageret, maxime, si posset, super **saltus** ab hoste **insessos**.

**17** [1] Primis tenebris silentio mota castra; boues **aliquanto** ante signa acti. [2] Vbi ad radices montium uiasque angustas uentum est, signum extemplo datur, ut accensis cornibus armenta in aduersos **concitentur** montes; et metus ipse **relucentis** flammae a capite calorque iam ad uiuum ad ima que cornua ueniens uelut stimulos furore agebat boues. [3] Quo repente **discursu**, haud **secus** quam siluis montibusque accensis, omnia

circum **uirgulta** ardere visa; capitumque **inrita quassatio** excitans flammam hominum passim discurrentium speciem praebebat. [4] Qui ad transitum saltus **insidentium locati** erant, ubi in summis montibus ac super se quosdam ignes conspexere, circumuentos se esse rati praesidio excessere. Qua minime densae **micabant** flammae, uelut tutissimum iter petentes summa montium iuga, tamen in quosdam boues **palatos** a suis gregibus inciderunt. [5] Et primo cum procul cernerent, ueluti flammam **spirantium** miraculo attoniti constiterunt; [6] deinde ut humana apparuit fraus, tum uero insidias rati esse, cum maiore tumultu **concitant** se in fugam. **Leui** quoque **armaturae** hostium **incurrere**; ceterum nox **aequato** timore **neutros** pugnam incipientes ad lucem tenuit. [7] Interea toto agmine Hannibal **transducto** per saltum et quibusdam in ipso saltu hostium oppressis in agro Allifano posuit castra.

## Une ambassade romaine (livre XXI)

*Revenons en -219 à la période qui précède la guerre.*

*En -226, Rome et Carthage avaient signé le traité de l'Èbre, qui donnait à Carthage l'Espagne au sud du fleuve "Iber" et à Rome la partie nord. Mais en -219, Rome passe un accord avec la ville de Sagonte, située au sud du fleuve et la met sous protectorat romain. Indigné par cette violation du traité, Annibal assiège la ville, qui tombera après huit mois. C'est pendant ce siège que Rome envoie une ambassade au chef punique.*

**9** [3] Interim ab Roma legatos venisse nuntiatum est; quibus **obviam** ad mare **missi** ab Hannibale qui dicerent nec **tuto** eos adituros inter tot tam **effrenatarum** gentium arma nec Hannibali in tanto **discrimine** rerum **operae** esse legationes audire. [4] Apparebat non admissos **protinus** Carthaginem ituros. Litteras igitur nuntiosque ad principes **factionis Barcinae** praemittit ut praepararent suorum animos ne quid pars altera **gratificari** populo Romano posset.

**10** [1] Itaque, praeterquam quod admissi auditique sunt, ea quoque vana atque **inrita** legatio fuit. [2] **Hanno** unus adversus senatum causam foederis magno silentio propter auctoritatem suam, [3] non cum adsensu audientium egit, per deos foederum arbitros ac testes **obtestans** ne Romanum cum Saguntino suscitarent bellum; monuisse, praedixisse se ne Hamilcaris **progeniem** ad exercitum mitterent; non manes, non **stirpem** eius conquiescere viri, nec unquam donec sanguinis nominisque Barcini quisquam supersit quietura Romana foedera.

## Le discours de Hannon (livre XXI)

*Pour poursuivre le discours d'Hannon, Tite-Live passe au discours direct.*

**10** [4] "Iuvenem **flagrantem** cupidine regni viamque unam ad id cernentem si ex bellis bella **serendo succinctus** armis legionibusque vivat, velut materiam igni praebentes, ad exercitus misistis. Aluistis ergo hoc incendium quo nunc **ardetis**. [5] Saguntum vestri circumsedent exercitus unde **arcentur foedere**; mox Carthaginem circumsedebunt Romanae legiones ducibus iisdem dis per quos priore bello rupta foedera sunt ulti. [6] Utrum hostem an vos an fortunam utriusque populi ignoratis? Legatos ab sociis et pro sociis venientes bonus **imperator** vester in castra non admisit; ius gentium sustulit; hi tamen, unde ne hostium quidem legati arcentur, pulsi, ad vos venerunt. Res ex foedere repetuntur; publica fraus absit: auctorem culpae et **reum** criminis deposcunt. [7] Quo lenius agunt, **segnius** incipiunt, eo cum coeperint vereor ne **perseverantius** saeviant. **Aegates insulas Erycemque** ante oculos proponite, quae terra marique per quattuor et viginti annos passi sitis. [8] Nec puer hic dux erat sed pater ipse Hamilcar, Mars alter, ut isti volunt. [...] [10] Carthagini nunc Hannibal **vineas** turesque admovet: Carthaginis moenia **quatit ariete**. Sagunti ruinae - falsus utinam vates sim! - nostris capitibus **incident**, susceptumque cum Saguntinis bellum habendum cum Romanis est. [11] **Dedemus** ergo Hannibalem? dicet aliquis. Scio meam levem esse in eo auctoritatem propter paternas inimicitias; sed et Hamilcarem eo perisse **laetatus** sum quod, si ille viveret, bellum iam haberemus cum Romanis, et hunc iuvenem tamquam furiam facemque huius belli odi ac detestor; [12] nec dedendum solum id **piaculum** rupti foederis, sed si nemo deposcit, **devehendum** in ultimas maris terrarumque oras, **ablegandum** eo unde nec ad nos nomen famaue eius accedere neque ille sollicitare quietae civitatis statum posset. [13] Ego ita censeo: legatos **extemplo** Romam mittendos qui senatui satisfaciant, alios qui Hannibali nuntient ut exercitum ab Sagunto abducat ipsumque Hannibalem ex foedere Romanis dedant, tertiam legationem ad res Saguntinis reddendas decerno."

**11** [1] Cum Hanno perorasset, nemini omnium certare oratione cum eo necesse fuit; adeo prope omnis senatus Hannibalis erat, **infestiusque** locutum **arguebant** Hannonem quam Flaccum Valerium, legatum Romanum. [2] Responsum inde legatis Romanis est bellum **ortum** ab Saguntinis, non ab Hannibale esse; populum Romanum iniuste facere, si Saguntinos vetustissimae Carthaginensium **societati** praeponat.

# En coulisses

## Textes de la séance 2 : La marche sur Rome

Tite-Live, **Histoire romaine**

### Le passage du Rhône (livre XXI)

*Au printemps -218, Annibal se met en route par voie de terre – il ne dispose pas d'une flotte suffisante pour passer par la mer - en direction de l'Italie, avec une armée imposante, plusieurs dizaines de milliers d'hommes, de nombreux cavaliers, beaucoup de têtes de bétail qui lui servent de ravitaillement, et quelques dizaines d'éléphants. Il passe sans difficulté les Pyrénées, puis se heurte à un obstacle majeur, le Rhône.*

**26** [6] Hannibal **ceteris** metu aut pretio **pacatis** iam in Volcarum peruenerat agrum, gentis ualidae. **Colunt** autem circa **utramque** ripam Rhodani; sed **diffisi citeriore agro arceri** Poenum posse, ut flumen pro **munimento** haberent, omnibus ferme suis trans Rhodanum **traiectis** ulteriorem ripam **annis** armis obtinebant. [7] Ceteros **accolas** fluminis Hannibal et eorum ipsorum quos sedes suae tenebant simul **perlicit** donis ad naues undique **contrahendas** fabricandasque; simul et ipsi **traici** exercitum leuarique quam primum regionem suam tanta hominum urgente turba cupiebant. [8] Itaque ingens coacta uis nauium est **lintriumque** **temere** ad **uicinalem** usum paratarum; nouasque alias primum Galli **incohantes cauabant** ex singulis arboribus, [9] deinde et ipsi milites simul copia materiae, simul facilitate operis inducti, **alueos** informes, nihil **dummodo innare** aquae et capere onera possent curantes, **raptim** quibus se suaque transueherent faciebant.

**27** [1] Iamque omnibus satis comparatis ad traiciendum terrebant ex aduerso hostes omnem ripam equites uirique **obtinentes**. [2] Quos ut auerteret, Hannonem Bomilcaris filium **uigilia** prima noctis cum parte copiarum, maxime Hispanis, **aduerso flumine** ire iter unius diei iubet [3] et, ubi primum possit quam occultissime traiecto amni, circumducere agmen ut cum **opus facto sit adoriatur** ab tergo hostes. [4] Ad id dati **duces** Galli **edocent** inde milia quinque et uiginti ferme supra paruae insulae circumfusum amnem latiore ubi diuidebatur eoque minus alto alueo **transitum** ostendere. [5] Ibi raptim **caesa materia** ratesque fabricatae in quibus equi uirique et alia onera traicerentur. Hispani sine ulla **mole** in **utres** uestimentis coniectis ipsi **caetris** superpositis incubantes flumen tranauere. [6] Et alius exercitus **ratibus** iunctis traiectus, castris prope flumen positus, nocturno itinere atque operis labore fessus quiete unius diei reficitur, intento duce ad consilium opportune **exsequendum**. [7] Postero die profecti, ex loco edito fumo significant transisse et haud procul abesse; quod ubi accepit Hannibal, ne tempori **deesset** dat signum ad traiciendum. [8] Iam paratas aptatasque habebat **pedes** lintres, **eques** fere propter equos naves. Nauium agmen ad excipiendum aduersi **impetum** fluminis parte superiore transmittens tranquillitatem infra traicientibus lintribus praebebat; [9] equorum pars magna **nantes loris** a puppibus trahebantur, praeter eos quos **instratos frenatosque** ut extemplo egresso in ripam equiti usui essent imposuerant in naues.

**28** [1] Galli occursant in ripa cum uariis **ululatibus** cantuque moris sui, **quatientes** scuta super capita **uibrantesque** dextris tela, [2] quamquam et ex aduerso terrebat tanta uis nauium cum ingenti sono fluminis et clamore uario nautarum militumque, et qui **nitebantur** perrumpere impetum fluminis et qui ex altera ripa traicientes suos hortabantur. [3] Iam satis **pauentes** aduerso tumultu terribior ab tergo **adortus** clamor, castris ab Hannone captis. Mox et ipse aderat **anceps**que terror circumstabat, et e nauibus tanta ui armatorum in terram **euadente** et ab tergo improuisa premente acie. [4] Galli postquam **utroque** uim facere conati **pellebantur**, qua **patere** uisum maxime iter perrumpunt trepidique in uicos passim suos diffugiunt. Hannibal ceteris copiis per **otium traiectionis** spernens iam Gallicos **tumultus** castra locat.

[5] Elephantorum traiciendorum uaria **consilia** fuisse credo; certe uariat memoria actae rei. Quidam **congregatis** ad ripam elephantis tradunt ferocissimum ex iis inritatum ab **rectore** suo, cum refugientem in aquam nantem sequeretur, traxisse gregem, ut quemque timentem **altitudinem destitueret uadum**, impetu ipso fluminis in alteram ripam



**rapiente.** [6] Ceterum magis **constat ratibus** traiectos; id ut **tutius** consilium ante rem foret, ita acta re ad fidem **pronius** est. [7] Ratem unam ducentos longam pedes, quinquaginta latam a terra in amnem **porrexerunt**, quam, ne secunda aqua deferretur, pluribus ualidis **retinaculis** parte superiore ripae **religatam** pontis in modum **humo iniecta constrauerunt** ut beluae audacter uelut per solum ingrederentur. [8] Altera ratis aequae lata, longa pedes centum, ad traiciendum flumen **apta**, huic **copulata** est; tres tum elephantum per stabilem ratem tamquam uiam praegredientibus **feminis** acti ubi in minorem adplicatam transgressi sunt, [9] extemplo **resolutis** quibus leuiter **adnexa** erat uinculis, ab **actuariis** aliquot nauibus ad alteram ripam pertrahitur; ita primis expositis, alii deinde **repetiti** ac traiecti sunt. [10] Nihil sane trepidabant, donec continenti uelut ponte agerentur; primus erat paor cum soluta ab ceteris rate in altum raperentur. [11] Ibi **urgentes** inter se, **cedentibus** extremis ab aqua, **trepidationis aliquantum edebant** donec quietem ipse timor circumspectantibus aquam fecisset. [12] Excidere etiam **saeuientes** quidam in flumen; sed pondere ipso stabiles, deiectis rectoribus, quaerendis **pedetemptim** uadis in terram euasere.

## Au sommet des Alpes (livre XXI)

**35** [7] Per omnia niue **oppleta** cum **signis** prima luce **motis segniter** agmen incederet **pigritia**que et desperatio in omnium uoltu emineret, [8] praegressus signa Hannibal in promunturio quodam, unde longe ac late **prospectus** erat, consistere iussis militibus Italiam ostentat **subiectos**que Alpinis montibus Circumpadanos **campos**, [9] moeniaque eos tum transcendere non Italiae modo sed etiam urbis Romanae ; cetera plana, **proclivia** fore; uno aut summum altero proelio arcem et caput Italiae in manu ac potestate habituros. [...]

*”L’armée poursuit sa marche. L’ennemi, il est vrai, ne venait plus l’inquiéter que par la surprise de quelques bagages, s’il en trouvait l’occasion. Au reste, la descente offrait bien plus d’obstacles que la montée, en ce que la pente des Alpes, qui, du côté de l’Italie, a moins d’étendue, est aussi plus rapide. En effet, presque tout le chemin était à pic, étroit et glissant: là, nul moyen d’éviter une chute; et, pour peu que le pied manquât, impossible de rester à l’endroit où l’on s’était abattu; en sorte qu’hommes et chevaux allaient rouler les uns sur les autres.”* (<http://bcs.fltr.ucl.ac.be/liv/XXI.html#35>)

**36** [1] Ventum deinde ad multo **angustio**rem rupem atque ita **rectis** saxis ut aegre **expeditus** miles **temptabundus** manibusque retinens **uirgulta** a c **stirpes** circa **eminentes demittere** sese posset. [2] Natura locus iam ante **praeceps** recenti **lapsu** terrae in pedum mille admodum altitudinem **abruptus** erat. [3] Ibi cum uelut ad finem uiae equites constitissent, miranti Hannibali quae res moraretur agmen nuntiatur rupem **inuia** esse. [4] **Digressus** deinde ipse ad locum uisendum. Haud dubia res uisa quin per **inuia** **circa** nec **trita** antea, quamuis longo **ambitu**, circumduceret agmen. [5] Ea uero uia **insuperabilis** fuit; nam cum super ueterem niuem intactam noua modicae altitudinis esset, molli nec **praealtae** facile pedes ingredientium **insistebant**; [6] ut **uero** tot hominum iumentorumque **incessu dilapsa** est, per nudam infra glaciem **fluentemque tabem liquescentis** niuis ingrediebantur. [7] **Taetra** ibi **luctatio** erat, via **lubrica** glacie non recipiente **uestigium** et in **prono citius** pedes **fallente**, ut, seu manibus in adsurgendo seu genu se **adiuissent**, ipsis **adminiculis** prolapsis iterum **corruerent**; nec stirpes circa radicesue ad quas pede aut manu quisquam **eniti** posset erant; ita in **leui** tantum glacie **tabidaque niue uolutabantur**. [8] Iumenta secabant **interdum** etiam infimam ingredientia niuem et prolapsa **iactandis grauius** in **conitendo unguis** penitus **perfringebant**, ut pleraque uelut **pedica** capta haerent in dura et alta **concreta** glacie.

**37** [1] Tandem **nequiquam** iumentis atque hominibus fatigatis castra in **iugo** posita, aegerrime ad id ipsum loco **purgato**; tantum niuis **fodiendum** atque **egerendum** fuit. [2] Inde ad rupem **muniendam** per quam unam uia esse poterat milites ducti, cum caedendum esset saxum, arboribus circa immanibus **deiectis detruncatisque struem** ingentem **lignorum** faciunt eamque, cum et uis uenti apta faciendo igni coorta esset, **succendunt ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt**. [3] Ita torridam incendio rupem ferro **pandunt** molliuntque **anfractibus** modicis **cliuos** ut non iumenta solum sed elephantum etiam deduci possent. [4] **Quadriduum** circa rupem **consumptum**, iumentis prope fame **absumptis**; nuda enim fere cacumina sunt et, si quid est pabuli, obruunt niues. [5] Inferiora ualles **apricos** quosdam colles habent riuosque prope siluas et iam humano **cultu** digniora loca. [6] Ibi iumenta in pabulum missa et quies **muniendo** fessis hominibus data. **Triduo** inde ad planum descensum et iam locis mollioribus et **accollarum** ingeniis.

# En coulisses

## Textes de la séance 3 : Annibal en Italie

Tite-Live, **Histoire romaine**

### Panique à Rome (livre XXII)

*En -217, Annibal a déjà remporté trois grandes batailles, et Tite-Live prétend que 15'000 Romains ont été tués lors de la dernière, celle de Trasimène. Une grande panique s'empare de la population romaine.*

¶ [6] Romae, ad primum nuntium cladis eius, cum ingenti terrore ac tumultu **concursum** in forum populi est factus. [7] Matronae **uagae** per uias, quae repens clades allata quaeue fortuna exercitus esset, **obuios percontantur**; et cum frequentis **contionis** modo turba in **comitium** et curiam uersa magistratus uocaret, [8] tandem haud multo ante solis **occasum** M. Pomponius praetor "pugna" inquit "magna uicti sumus". [9] Et quamquam nihil certius ex eo auditum est, tamen alius ab alio impleti rumoribus domos referunt consulem cum magna parte copiarum caesum; superesse paucos aut fuga passim per Etruriam **sparsos** aut captos ab hoste. [10] Quot **casus** exercitus uicti fuerant, tot in curas distracti animi eorum erant quorum propinqui sub **C. Flaminio** consule **meruerant**, ignorantium quae cuiusque suorum fortuna esset; nec quisquam satis certum habet quid aut speret aut timeat. [11] Postero ac **deinceps** aliquot diebus ad portas maior prope mulierum quam uirorum multitudo stetit, aut suorum aliquem aut nuntios de iis **opperiens**; circumfundebanturque obuiis **sciscitantes** neque **auelli**, utique ab notis, priusquam ordine omnia inquisissent, poterant. [12] Inde uarios **uultus** digredientium ab nuntiis cerneret, ut cuique laeta aut tristia nuntiabantur, gratulantesque

aut consolantes redeuntibus domos circumfusos. Feminarum praecipue et gaudia insignia erant et **luctus**. [13] Vnam in ipsa porta **sospiti** filio repente **oblatam** in complexu eius exspirasse ferunt; alteram, cui mors filii falso nuntiata erat, maestam sedentem domi, ad primum conspectum redeuntis filii gaudio **nimio exanimatam**. [14] Senatum praetores per dies aliquot ab **orto** usque ad occidentem solem in curia retinent, consultantes quonam duce aut quibus copiis resisti uictoribus Poenis posset.

## Vincere scis, victoria uti nescis (livre XXII)

**51** [1] Hannibali uictori cum ceteri circumfusi gratularentur suaderentque ut, tanto **perfunctus** bello, diei quod reliquum esset noctisque insequentis quietem et ipse sibi sumeret et fessis daret militibus, [2] Maharbal praefectus equitum, minime **cessandum ratus**, "**immo** ut quid hac pugna sit actum scias, die quinto" inquit, "uictor in Capitolio **epulaberis**. Sequere; cum **equite**, ut prius uenisse quam uenturum sciant, praecedam." [3] Hannibali nimis laeta res est uisa maiorque quam ut eam statim capere animo posset. Itaque uoluntatem se laudare Maharbalis ait; ad consilium **pensandum** temporis opus esse. [4] Tum Maharbal: "non omnia **nimirum** eidem di dedere. Vincere scis, Hannibal; uictoria uti nescis." **Mora** eius diei satis creditur saluti fuisse urbi atque imperio.

## Annibal à Capoue (livre XXIII)

**18** [9] <Hannibal> in hiberna **Capuam** concessit. [10] Ibi partem maiorem hiemis exercitum in tectis habuit, aduersus omnia humana mala saepe ac diu **duratum**, bonis **inexpertum** atque **insuetum**. [11] Itaque, quos nulla mali vicerat vis, perdidere **nimia** bona ac voluptates immodicae, et eo **impensius** quo auidius ex **insolentia** in eas se **merserant**. [12] Somnus enim et vinum et epulae et **scorta balineaque** et otium consuetudine in dies **blandius** ita **enervaverunt** corpora animosque ut magis deinde praeteritae victoriae eos quam praesentes **tutarentur** vires, [13] maiusque id peccatum ducis apud peritos artium militarium haberetur quam quod non ex Cannensi acie **protinus** ad urbem Romanam duxisset; illa enim **cunctatio distulisse modo** victoriam videri potuit, hic error vires **ademisse** ad vincendum. [14] Itaque hercule, velut si cum

alio exercitu a Capua exiret, nihil **usquam** pristinae disciplinae tenuit. [15] Nam et redierunt plerique scortis **impliciti** et, ubi primum sub **pellibus** haberi coepti sunt, viaque et alius militaris labor **exceptit**, **tironum** modo corporibus animisque deficiebant, [16] et deinde per omne **aestivorum** tempus magna pars sine **commeatibus** ab signis **dilabebantur** neque aliae **latebrae** quam Capua desertoribus erant.

## **Annibal sous les murs de Rome (livre XXVI)**

*Les années passent. Les Romains sont en train de reprendre le dessus et cherchent à prendre Capoue, qui avait définitivement pris parti pour Annibal et avaient rompu leur ancienne alliance avec Rome. Annibal essaie de s'emparer de Tarente, mais en vain pour le moment.*

**5** [1] Hannibalem diuersum Tarentinae arcis **potiundae** Capuaeque retinendae trahebant curae. [2] Uicit tamen respectus Capuae in quam omnium sociorum hostiumque conuersos uidebat animos, **documento** futurae qualemcumque euentum defectio ab Romanis habuisset.[...]

*Annibal change de projet et essaie alors de rompre le siège de Capoue, mais à nouveau en vain.*

**7** [1] Ceterum Hannibal, ut nec hostes **elici** amplius ad pugnam uidit neque per castra eorum perrumpi ad Capuam posse, [2] ne suos quoque **commeatus intercluderent** noui consules, abscedere **inrito incepto** et mouere a Capua statuit castra. [3] Multa secum **quonam** inde ire **pergeret uoluenti subiit** animum **impetus** caput ipsum belli Romam petendi, cuius rei semper cupitae **praetermissam** occasionem post Cannensem pugnam et alii **fremebant** et ipse non dissimulabat : [4] **necopinato** pauore ac **tumultu** non esse desperandum aliquam partem urbis occupari posse, [5] et si Roma in **discrimine** esset, Capuam **extemplo omissuros** aut **ambo** imperatores Romanos aut alterum ex iis; et si diuisissent copias, utrumque infirmiolem factum aut sibi aut Campanis bene gerendae rei fortunam daturus esse. [6] Una ea cura **angebatur** ne ubi **abscessisset** extemplo **dederentur Campani**.

*Annibal se décide alors à marcher sur Rome et à s'établir sur l'Aniene, un affluent du Tibre tout près du nord de la capitale, ce qui oblige les consuls à replier leurs troupes depuis Capoue et à les établir devant la Ville.*

**10** [3] Inter haec Hannibal ad Anienem fluuium tria milia passuum ab urbe castra admouit. Ibi **statiuis** positis ipse cum duobus milibus equitum ad **Portam Collinam** usque ad Herculis templum est progressus atque unde proxime poterat moenia situmque urbis **obequitans** contemplabatur. [4] Id eum tam **licenter** atque **otiose** facere **Flacco** indignum uisum est; itaque immisit equites **summouerique** atque in castra **redigi** hostium equitatum iussit. [5] Cum commissum proelium esset, consules **transfugas** Numidarum, qui tum in Auentino ad mille et ducenti erant, media urbe transire **Esquilias** iusserunt, [6] nullos aptiores inter **conualles** tectaque hortorum et sepulcra et **cauas** undique uias ad pugnandum futuros **rati**. Quos cum ex arce Capitolioque **cliuo Publicio** in equis decurrentes quidam uidissent, captum Auentinum conclamauerunt. [7] Ea res tantum tumultum ac fugam praebuit ut nisi castra Punica extra urbem fuissent, **effusura** se omnis **pauida** multitudo fuerit : tunc in domos atque in tecta refugiebant, uagosque in uiis suos pro hostibus lapidibus telisque **incessebant**. [8] Nec comprimi tumultus aperirique error poterat refertis itineribus agrestium turba **pecorumque** quae **repentinus** pauor in urbem **compulerat**.

**11** [1] Postero die transgressus Anienem Hannibal in aciem omnes copias eduxit; nec Flaccus consulesque certamen **detractauere**. [2] Instructis **utrimque** exercitibus in eius pugnae **casum** in qua urbs Roma uictori praemium esset, **imber** ingens **grandine** mixtus ita utramque aciem turbauit ut uix armis retentis in castra sese receperint, nullius rei minore quam hostium metu. [3] Et postero die eodem loco acies instructas eadem tempestas **diremit**; ubi recepissent se in castra, mira serenitas cum tranquillitate **oriebatur**. [4] In religionem ea res apud Poenos uersa est, auditaque uox Hannibalis fertur **potiundae** sibi urbis Romae modo mentem non dari, modo fortunam. [5] Minuere etiam spem eius duae aliae, parua magnaue, res, magna illa quod cum ipse ad moenia urbis Romae armatus sederet milites sub **uexillis** in supplementum Hispaniae profectos audiit, [6] parua autem quod per eos dies eum forte agrum in quo ipse castra haberet **uenisse** nihil ob id deminuto pretio cognitum ex quodam captiuo est. [7] Id uero adeo superbum atque indignum uisum eius soli quod ipse bello captum possideret haberetque inuentum Romae **emptorem** ut extemplo uocato **praecone tabernas argentarias** quae circa forum Romanum essent iusserit uenire.

# En coulisses

## Textes de la séance 4 : La guerre passe en Afrique

Tite-Live, Histoire romaine

### Portrait de P. Cornelius Scipion (livre XXVI)

*Au fil des ans, le vent tourne : l'armée d'Annibal est usée et vieillissante ; et un nouvel ennemi redoutable se dresse devant le chef punique, le jeune P. Cornelius Scipion, nommé à la tête des armées romaines d'Espagne en -211.*

**19** [3] Fuit Scipio non ueris tantum uirtutibus mirabilis, sed arte quoque quadam ab **iuuenta** in **ostentationem** earum compositus, [4] pleraque apud multitudinem aut per nocturnas uisa **species** aut uelut **diuinitus** mente monita agens, siue et ipse capti quadam superstitione animi, siue ut imperia consiliaque uelut sorte oraculi missa sine **cunctatione exsequerentur**. [5] Ad hoc iam inde ab initio praeparans animos, ex quo **togam uirilem** sumpsit nullo die prius ullam publicam priuatamque rem egit quam in Capitolium iret ingressusque aedem **consideret** et plerumque solus in secreto ibi tempus **tereret**. [6] Hic mos per omnem uitam seruatus seu **consulto** seu **temere uolgatae opinioni** fidem apud quosdam fecit **stirpis** eum diuinae uirum esse, [7] **rettulit**que famam in Alexandro magno prius uolgatam, et uanitate et fabula parem, ” **anguis** immanis **concubitu** conceptum, et in cubiculo matris eius uisam persaepe prodigii eius speciem **interuentu**que hominum **euolutam** repente atque ex oculis elapsam.” [8] His miraculis nunquam ab ipso **elusa fides** est; **quin** potius aucta arte quadam nec **abnuendi** tale quicquam nec **palam** adfirmandi. [9] Multa alia eiusdem generis, alia uera, alia adsimulata, admirationis humanae in eo iuene excesserant **modum**; quibus **freta** tunc ciuitas aetati **haudquaquam** maturae tantam rerum molem tantumque imperium **permisit**.

## Allégresse à Rome (livre XXVII)

**50** [6] Tam sollicitae ac suspensae ciuitati fama incerta primo accidit duos **Narnienses** equites in castra quae in **faucibus** Umbriae opposita erant uenisse ex proelio nuntiantes **caesos** hostes. [7] Et primo magis auribus quam animis id acceptum erat, ut maius laetiusque quam quod mente capere aut satis credere possent; et ipsa **celeritas** fidem impediabat quod **biduo** ante pugnatum dicebatur. [...] [9] Tantoque **certamine** ac tumultu populi ad **fores** curiae concursus est ut adire nuntius non posset, sed traheretur a **percontantibus** uociferantibusque ut in **rostris** prius quam in senatu litterae **recitarentur**. [10] Tandem **summoti** et **coerciti** a magistratibus, **dispensari**que laetitia inter **impotentes** eius animos potuit. [11] In senatu primum, deinde in **contione** litterae recitatae sunt; et **pro** cuiusque ingenio aliis iam certum gaudium, aliis nulla ante futura **fides** erat quam legatos consulumue litteras audissent.

**51** [1] Ipsos deinde adpropinquare legatos **allatum** est. Tunc enim uero omnis aetas currere **obuii**, primus quisque oculis auribusque **haurire** tantum gaudium cupientes. [2] Ad **Muluium** usque **pontem continens agmen** peruenit. [3] Legati [...] **circumfusi** omnis generis hominum **frequentia** in forum peruenerunt, cum alii ipsos, alii comites eorum quae acta essent **percontarentur**; [4] et ut quisque audierat exercitum hostium imperatoremque occisum, legiones Romanas incolumes, saluos consules esse, **extemplo** aliis **porro impertiebant** gaudium suum. [5] Cum aegre in curiam peruentum esset, multo **aegrius summoti** turba ne patribus misceretur, litterae in senatu **recitatae** sunt. inde **traducti** in **contionem** legati. [6] **L. Ueturius** litteris recitatis, ipse **planius** omnia quae acta erant exposuit cum ingenti **adsensu**, postremo etiam clamore uniuersae contionis cum uix gaudium animis caperent. [7] **Discursum** inde ab aliis circa templa deum ut **grates agerent**, ab aliis domos ut coniugibus liberisque tam laetum nuntium impertirent. [8] Senatus quod M. Liuius et C. Claudius consules incolumi exercitu ducem hostium legionesque occidissent **supplicationem** in triduum decreuit. Eam supplicationem C. Hostilius praetor pro contione **edixit**, celebrataque a uiris feminisque est. [9] Omnia templa per totum triduum **aequalem** turbam habuere, cum matronae amplissima ueste cum liberis **perinde ac si debellatum** foret omni **solutae** metu deis immortalibus grates agerent. [10] Statum quoque ciuitatis ea uictoria mouit, ut iam inde **haud secus quam** in pace res inter se **contrahere** uendendo, emendo, **mutuum** dando argentum **creditumque soluendo** auderent.



## Scipion passe en Afrique (Livre XXIX)

**27** [1] **Ubi inluxit**, Scipio e **praetoria** naue silentio per **praeconem** facto [2] "Diui diuaeque" inquit "qui maria terrasque **colitis**, uos precor quaesoque uti quae in meo imperio gesta sunt, geruntur postque gerentur, ea mihi populo plebique Romanae sociis nominique Latino qui populi Romani quique meam **sectam** imperium auspiciumque terra mari **annibusque** sequuntur **bene uerruncent**, [3] eaque uos omnia bene iuuetis, bonis **auctibus auxitis**; saluos incolumesque uictis **perduellibus** uictores **spoliis** decoratos praeda onustos triumphantisque mecum domos **reduces sistatis**; inimicorum hostiumque ulciscendorum copiam **faxitis**; [4] quaeque populus Carthaginiensis in ciuitatem nostram facere **molitus** est, ea ut mihi populoque Romano in ciuitatem Carthaginiensium exempla **edendi** facultatem detis." [5] **Secundum** has preces cruda **exta caesa** uictima, uti mos est, in mare proiecit **tubaque** signum dedit proficiscendi. [...]



Scipion fait un discours

(capture d'écran du film **Scipione l'Africano** de Carmine Gallone, 1937)

**28** [1] **Expositis** copiis Romani castra in proximis tumulis **metantur**. [2] Iam non in maritimos modo agros conspectu primum classis dein tumultu egredientium in terram pauor terrorque peruenerat, sed in ipsas urbes; [3] neque enim hominum modo turba mulierum puerorumque agminibus immixta omnes passim compleuerat uias, sed pecora quoque prae se **agrestes** agebant, ut relinqui subito Africam diceres. [4] Urbibus uero ipsis maiorem quam quem secum attulerant terrorem inferebant; praecipue Carthagini prope ut captae tumultus fuit.

## Désespoir d'Annibal rappelé en Afrique (Livre XXX)

*Finalem, à la fin de l'été -203, le Sénat de Carthage, face à la menace romaine, envoie des délégués pour ordonner à Annibal de revenir en Afrique. Cela le bouleverse.*

**20** [1] **Frendens** gemensque ac uix lacrimis temperans dicitur legatorum uerba audisse. [2] Postquam **edita** sunt mandata, "iam non **perplexe**" inquit "sed **palam** reuocant qui uetando supplementum et pecuniam mitti iam pridem retrahebant. [3] Vicit ergo Hannibalem non populus Romanus totiens **caesus fugatusque** sed senatus Carthaginensis **obtrectatione** atque **inuidia**; [4] neque hac **deformitate** reditus mei tam P. Scipio exsultabit atque **efferet sese** quam **Hanno** qui domum nostram quando alia re non potuit ruina Carthaginis **oppressit**."

[5] Iam hoc ipsum praesagiens animo praeparauerat ante naues. Itaque inutili militum turba **praesidii specie** in oppida **Bruttii** agri quae pauca metu magis quam fide continebantur **dimissa**, quod **roboris** in exercitu erat in Africam transuexit, [6] multis Italici generis, quia in Africam secuturos **abnuentes** concesserant in **Iunonis Lacinae delubrum** inuiolatum ad eam diem, in templo ipso **foede** interfectis. [7] Raro quemquam alium patriam exsilii causa relinquentem tam maestum abisse ferunt quam Hannibalem hostium terra excedentem; respexisse saepe Italiae litora, et deos hominesque accusantem in se quoque ac suum ipsius caput **exsecratum** [8] quod non **cruentum** ab Cannensi uictoria militem Romam duxisset.

# En coulisses

## Textes de la séance 5 : Sophonisbe

Tite-Live, **Histoire romaine**

### Sophonisbe et Masinissa (livre XXX)

*Les Numides, qui occupaient approximativement l'Algérie actuelle, voyaient se disputer deux rois qui ambitionnaient l'un et l'autre de régner sur ce peuple : Masinissa, allié de longue date des Romains, et Syphax, qui avait épousé une ravissante jeune Carthaginoise, Sophonisbe.*

*Au printemps -203, peu avant le rappel d'Annibal en Afrique, Syphax est vaincu dans une bataille majeure et amené prisonnier à Lélius, le lieutenant de Scipion, qui était absent à ce moment.*

*La scène digne d'une tragédie antique, qui est décrite tout au long des textes de cette séance, se passe dans la ville de Cirta (voir la photo de la page de couverture).*

**12** [3] Cirta caput regni Syphacis erat; eoque ex fuga ingens hominum se contulerat **uis**. [...] [6] Masinissa sibi quidem dicere nihil esse in praesentia pulchrius quam uictorem recipere tanto post interuallo patrium inuisere regnum, sed tam secundis quam aduersis rebus non dari spatium ad **cessandum**; [7] si se Laelius cum equitatu **uincto**que Syphace Cirtam praecedere sinat, trepida omnia metu se oppressurum; Laelium cum peditibus subsequi modicis itineribus posse. [8] Adsentiente Laelio praegressus Cirtam euocari ad **conloquium** principes Cirtensium iubet. Sed apud ignaros regis **casus** nec quae acta essent **promendo** nec **minis** nec suadendo ante **ualuit** quam rex uinctus in conspectum datus est. [9] Tum ad spectaculum tam foedum **comploratio**

orta, et partim pauore moenia sunt deserta, partim repentino consensu **gratiam** apud uictorem quaerentium patefactae portae. [10] Et Masinissa praesidio circa portas **opportunaque** moenium dimisso ne cui fugae pateret exitus, ad **regiam** occupandam **citato** uadit **equo**.

[11] Intranti uestibulum in ipso **limine** Sophoniba, uxor Syphacis, filia Hasdrubalis Poeni, occurrit; et cum in medio agmine armatorum Masinissam insignem cum armis tum cetero **habitu** conspexisset, regem esse, id quod erat, **rata** genibus **aduoluta** eius : [12] "Omnia quidem ut possis" inquit "in nobis di dederunt uirtusque et felicitas tua; sed si captiuae apud dominum uitae necisque suae uocem **supplicem** mittere licet, [13] si genua, si uictricem attingere dextram, precor quaesoque per maiestatem regiam, in qua paulo ante nos quoque fuimus, per gentis Numidarum nomen, quod tibi cum Syphace commune fuit, per huiusce regiae deos, qui te melioribus **ominibus** accipiant quam Syphacem hinc miserunt, [14] hanc ueniam supplici des ut ipse quodcumque fert animus de captiua tua statuas neque me in **cuiusquam** Romani superbum et crudele arbitrium uenire sinas. [15] Si nihil aliud quam Syphacis uxor fuisset, tamen Numidae atque in eadem mecum Africa **geniti** quam **alienigenae** et externi fidem experiri mallet: [16] quid Carthaginiensi ab Romano, quid filiae Hasdrubalis timendum sit uides. si nulla re alia potes, morte me ut **uindices** ab Romanorum arbitrio oro obtestorque." [17] **Forma** erat insignis et florentissima aetas. Itaque cum modo <genua modo> dextram amplectens in id ne cui Romano traderetur fidem exposceret propiusque **blanditias** iam oratio esset quam preces, [18] non in misericordiam modo prolapsus est animus uictoris, sed, ut est genus Numidarum in **uenerem praeceps**, amore captiuae uictor captus. Data dextra in id quod petebatur **obligandae fidei** in regiam concedit. [19] **Institit** deinde reputare secum ipse quemadmodum promissi fidem **praestaret**. Quod cum **expedire** non posset, ab amore temerarium atque impudens **mutuatur** consilium; [20] nuptias in eum ipsum diem parari repente iubet ne quid relinqueret **integri** aut Laelio aut ipsi Scipioni **consulendi** uelut in captiuam quae Masinissae iam nupta foret. [21] Factis nuptiis superuenit Laelius et adeo non dissimulauit **improbare** se factum ut primo etiam cum Syphace et ceteris captiuis **detractam** eam <lecto> **geniali** mittere ad Scipionem conatus sit. [22] Uictus deinde precibus Masinissae orantis ut arbitrium utrius regum duorum fortunae **accessio** Sophoniba esset ad Scipionem reiceret, misso Syphace et captiuis ceteras urbes Numidiae quae **praesidiis** regis tenebantur **adiuuante** Masinissa recipit.

## La colère de Scipion (livre XXX)

**13** [1] Syphacem in castra adduci cum esset nuntiatum, omnis uelut ad spectaculum triumphii multitudo effusa est. [2] Praecedebat ipse **uinctus**, sequebatur grex nobilium Numidarum. Tum **quantum** quisque plurimum poterat magnitudini Syphacis famaue gentis uictoriam suam augendo addebat : [3] ”illum esse regem cuius tantum maiestati duo potentissimi in terris tribuerint populi Romanus Carthaginensisque, [4] ut Scipio imperator suus ad amicitiam eius petendam relicta prouincia Hispania exercituque duabus quinquereuibus in Africam nauigauerit, [5] Hasdrubal Poenorum imperator non ipse modo ad eum in regnum uenerit sed etiam filiam ei nuptum dederit. Habuisse eum uno tempore in potestate duos imperatores, Poenum Romanumque. [6] Sicut ab dis immortalibus pars utraque **hostiis mactandis** pacem petisset, ita ab eo **utrimque** pariter amicitiam petitam. [7] Iam tantas habuisse opes ut Masinissam regno **pulsum eo redegerit ut** uita eius fama mortis et **latebris** ferarum **modo** in siluis **rapto** uiuentis tegetur.”

[8] His sermonibus circumstantium celebratus rex in **praetorium** ad Scipionem est perductus. Mouit et Scipionem cum fortuna **pristina** uiri praesenti fortunae **conlata**, tum **recordatio hospitii** dextraeque datae et **foederis** publice ac priuatim iuncti. [9] Eadem haec et Syphaci animum dederunt in adloquendo uictore. Nam cum Scipio quid sibi uoluisset quaereret qui non societatem solum **abnuisset** Romanam sed **ultra** bellum intulisset, [10] tum ille peccasse quidem sese atque **insanisse** fatebatur, sed non tum **demum** cum arma aduersus populum Romanum cepisset; **exitum** sui furoris eum fuisse, non **principium**; tum se insanisse, [11] tum hospitia priuata et publica foedera omnia ex animo eiecisse cum Carthaginensem matronam domum acceperit. [12] Illis **nuptialibus facibus** regiam **conflagrasse** suam; illam furiam pestemque omnibus **delenimentis** animum suum auertisse atque alienasse, nec conquiesse donec ipsa manibus **suis nefaria** sibi arma aduersus hospitem atque amicum **induerit**. [13] Perdito tamen atque adflicto sibi hoc in miseriis **solatii** esse quod in omnium hominum **inimicissimi** sibi domum ac penates eandem pestem ac furiam transisse uideat. [14] Neque prudentiorem neque constantiorem Masinissam quam Syphacem esse, etiam iuuenta **incautiorem**; certe stultius illum atque **intemperantius** eam quam se **duxisse**.

**14** [1] Haec non **hostili** modo odio sed amoris etiam **stimulis** amatam apud **aemulum** cernens cum dixisset, non mediocri cura Scipionis animum pepulit. [2] Et **fidem**

**criminibus** raptae prope inter arma nuptiae neque consulto neque exspectato Laelio faciebant tamque **praeceps festinatio** ut quo die captam hostem uidisset **eodem** matrimonio iunctam acciperet et ad penates hostis sui nuptiale **sacrum** conficeret ; [3] Et e o **foediora** haec uidebantur Scipioni quod ipsum in Hispania iuuenem nullius forma **pepulerat** captivae. Haec secum **uolutanti** Laelius ac Masinissa superuenerunt. Quos cum pariter **ambo** et benigno uultu excepisset et egregiis laudibus **frequenti** praetorio celebrasset, [4] abductum in secretum Masinissam sic adloquitur : *"C'est sans doute parce que vous m'avez reconnu quelques qualités, Masinissa, que vous êtes venu d'abord en Espagne rechercher mon amitié, et que vous avez ensuite, en Afrique, confié et votre personne et toutes vos espérances à ma loyauté. (5) Eh ! bien, de toutes les vertus qui vous ont fait attacher du prix à mon amitié, la continence et la retenue sont celles dont je m'honore le plus. (6) Ce sont aussi celles que je voudrais vous voir ajouter à toutes vos autres excellentes qualités, Masinissa. Non, croyez-moi, non, nous n'avons pas tant à redouter à notre âge un ennemi armé que les voluptés qui nous assiègent de toutes parts. (7) Quand on sait mettre un frein à ses passions et les dompter par sa tempérance, on se fait plus d'honneur, on remporte une plus belle victoire que celle qui nous a livré la personne de Syphax. (8) L'activité et la valeur que vous avez déployées loin de mes regards, je les ai citées, je me les rappelle avec plaisir; quant à vos autres actions, je les livre à vos réflexions particulières et je vous épargne une explication qui vous ferait rougir. Syphax a été vaincu et fait prisonnier sous les auspices du peuple romain. (9) Ainsi sa personne, sa femme, ses états, ses places, leur population, enfin tout ce qui était à Syphax, est devenu la proie du peuple romain. (10) Le roi et sa femme, ne fût-elle pas Carthaginoise et fille du général que nous voyons à la tête des ennemis, devraient être envoyés à Rome pour que le sénat et le peuple décidassent et prononçassent sur le sort d'une femme qui passe pour avoir détaché un roi de notre alliance et l'avoir poussé à la guerre tête baissée. (11) Faites taire votre passion; n'allez pas souiller tant de vertus par un seul vice, ni perdre le mérite de tant de services par une faute plus grave encore que le motif qui vous l'a fait commettre."* (<http://bcs.fltr.ucl.ac.be/liv/XXX.html#30-20>)

## **La mort de Sophonisbe (livre XXX)**

**15** [1] Masinissae haec audienti non rubor solum **suffusus** sed lacrimae etiam **obortae**; et cum se quidem in potestate futurum imperatoris dixisset orassetque eum ut quantum

res sineret **fidei** suae temere **obstrictae** consuleret - [2] ”promisise enim se in nullius potestatem **eam** traditurum - ex praetorio in **tabernaculum** suum confusus **concessit**. [3] Ibi **arbitris** remotis cum **crebro** suspiritu et gemitu, quod facile ab circumstantibus tabernaculum exaudiri posset, **aliquantum** temporis consumpsisset, [4] ingenti ad postremum **edito** gemitu **fidum** e seruis unum uocat, sub cuius **custodia regio** more ad incerta fortunae uenenum erat, et mixtum in **poculo** ferre ad Sophonibam iubet [5] ac simul nuntiare ”Masinissam libenter primam ei fidem **praestaturum** fuisse quam uir uxori debuerit: quoniam eius **arbitrium** qui possint **adimant**, secundam fidem praestare ne uiua in potestatem Romanorum ueniat. [6] Memor patris imperatoris patriaeque et duorum regum quibus nupta fuisset, sibi ipsa **consuleret**.”

Hunc nuntium ac simul uenenum ferens **minister** cum ad Sophonibam uenisset, [7] ”Accipio, inquit, nuptiale **munus**, neque **ingratum**, si nihil maius uir uxori praestare potuit. hoc tamen nuntia, melius me morituram fuisse si non in funere meo nupsissem.” [8] Non locuta est **ferocius** quam acceptum poculum nullo **trepidationis** signo dato **impauide hausit**.

[9] *Quand Scipion l'apprit, il craignit que le jeune et fier Masinissa, égaré par son désespoir, ne se portât à quelque résolution violente; il le fit venir sur-le-champ et le consola; (10) mais en même temps il lui reprocha avec douceur d'avoir réparé une imprudence par une autre imprudence et donné à cette affaire un dénouement tragique que rien ne nécessitait.*

(11) *Le lendemain, pour distraire l'âme du prince des émotions qui la préoccupaient, il monta sur son tribunal et fit convoquer l'assemblée. Là il donna pour la première fois à Masinissa le nom de roi, le combla d'éloges, et lui fit présent d'une couronne et d'une coupe d'or, d'une chaise curule, d'un bâton d'ivoire, d'une toge brodée et d'une tunique à palmes. (12) Pour rehausser l'éclat de ces dons, il ajouta: "que les Romains n'avaient point d'honneur plus grand que le triomphe, ni les triomphateurs d'ornements plus beaux que ceux dont Masinissa seul parmi tous les étrangers avait été jugé digne par le peuple romain. (13) Il paya ensuite un tribut d'éloges à Laelius et lui donna aussi une couronne d'or; il récompensa enfin d'autres officiers, chacun selon son mérite. (14) Ces honneurs calmèrent l'irritation du roi et firent naître dans son coeur l'espoir prochain de s'élever sur les ruines de Syphax et de commander à toute la Numidie.*

(<http://bcs.fltr.ucl.ac.be/liv/XXX.html#30-20>)

# En coulisses

## Textes de la séance 6 : La Lex Oppia

Tite-Live, Histoire romaine

### Manifestation de femmes (livre XXXIV)

**1** [1] Inter bellorum magnorum aut **uixdum** finitorum aut **imminentium** curas **intercessit** res parua dictu sed quae **studiis** in magnum certamen excesserit. [2] M. Fundanius et L. Valerius tribuni plebi ad plebem tulerunt de Oppia lege abroganda. [3] Tulerat eam C. Oppius tribunus plebis Q. Fabio Ti. Sempronio consulibus in medio ardore Punicus belli, ne qua mulier plus **semunciam** auri haberet neu uestimento **uersicolori** uteretur neu **iuncto** uehiculo in urbe oppidouae aut propius inde mille passus nisi **sacrorum** publicorum causa ueheretur. [4] M. et P. Iunii Bruti tribuni plebis legem Oppiam tuebantur nec eam se abrogari passuros aiebant; ad suadendum dissuadendumque multi nobiles **prodibant**; Capitolium turba hominum fauentium aduersantiumque legi complebatur [5] Matronae nulla nec auctoritate nec **uerecundia** nec imperio uirorum contineri **limine** poterant, omnes uias urbis aditusque in forum obsidebant, uiros descendentes ad forum orantes ut florente re publica, crescente in dies priuata omnium fortuna matronis quoque **pristinum ornatum** reddi paterentur. [6] Augebatur haec frequentia mulierum in dies; nam etiam ex oppidis **conciliabulis**que conueniebant. [7] Iam et consules praetoresque et alios magistratus adire et rogare audebant; ceterum minime **exorabilem** alterum utique consulem M. Porcium Catonem habebant, qui pro lege quae abrogabatur ita disseruit



## Discours de Marcus Porcius Caton (livre XXXIV)

**2** [1] "Si in sua quisque nostrum matre familiae, **Quirites**, ius et maiestatem uiri retinere **instituisset**, minus cum uniuersis feminis **negotii** haberemus : [2] nunc domi uicta libertas nostra **impotentia** muliebri hic quoque in foro **obteritur** et **calcatur**, et quia singulas sustinere non potuimus uniuersas **horremus**. [3] Equidem fabulam et fictam rem ducebam esse uirorum omne genus in aliqua insula coniuratione muliebri ab **stirpe sublatum** esse; [4] ab nullo genere non summum periculum est si **coetus** et concilia et secretas consultationes esse sinas. Atque ego uix statuere apud animum meum possum utrum peior ipsa res an peiore exemplo agatur. [...]

[8] Equidem non sine **rubore** quodam paulo ante per medium agmen mulierum in forum perueni. Quod nisi me **uerecundia singularum** magis maiestatis et pudoris quam uniuersarum tenuisset, ne **compellatae** a consule uiderentur, dixissem : [9] "Qui hic mos est in publicum procurrendi et **obsidendi** uias et uiros **alienos appellandi** ? Istud ipsum suos quaeque domi rogare non potuistis ? [10] An **blandiores** in publico quam in priuato et alienis quam uestris estis ? **Quamquam** ne domi quidem uos, si sui iuris finibus matronas contineret pudor, quae leges hic **rogarentur** abrogarenturue curare decuit."

[11] Maiores nostri nullam, ne priuatam quidem rem agere feminas sine tutore **auctore** uoluerunt, in manu esse parentium, fratrum, uirorum : nos, si diis placet, iam etiam rem publicam **capessere** eas patimur et foro prope et **contionibus** et comitiis immisceri. [12] Quid enim nunc aliud per uias et **compita** faciunt quam **rogationem** tribunorum plebi suadent, quam legem abrogandam censent ? [13] Date **frenos impotenti** naturae et indomito animali et sperate ipsas **modum** licentiae facturas, nisi uos facietis ! [14] **Minimum** hoc eorum est quae iniquo animo feminae sibi aut moribus aut legibus **iniuncta** patiuntur. Omnium rerum libertatem, immo licentiam, si uere dicere uolumus, desiderant.

**3** [1] Quid enim, si hoc expugnauerint, non temptabunt ? Recensete omnia muliebria iura quibus licentiam earum **adligauerint** maiores uestri per quaeque **subiecerint** uiris; quibus omnibus **constrictas** uix tamen continere potestis. [2] Quid ? si **carpere** singula e t extorquere et **exaequari** ad extremum uiris patiemini, tolerabiles uobis eas fore creditis ? **Extemplo simul** pares esse coeperint, superiores erunt. [...]

## Réponse de Lucius Valérius (livre XXXIV)

**5** [7] Quid tandem noui matronae fecerunt, quod frequentes in causa ad se pertinente in publicum processerunt? Nunquam ante hoc tempus in publico apparuerunt? Tuas aduersus te **Origines reuoluam**. [8] Accipe quotiens id fecerint, et quidem semper bono publico. Iam a principio, regnante Romulo, cum Capitolio ab Sabinis capto medio in foro **signis conlatis dimicaretur**, nonne **intercurso** matronarum inter acies duas proelium **sedatum** est?



L'intervention de la "matrona" Hersilia entre son mari Romulus et son père Titus Tatius, peinture de Jacques Louis David, Musée du Louvre ([https://fr.wikipedia.org/wiki/Enl%C3%A8vement\\_des\\_Sabines](https://fr.wikipedia.org/wiki/Enl%C3%A8vement_des_Sabines))

[9] Quid? Regibus exactis cum **Coriolano Marcio** duce legiones Volscorum castra ad **quintum lapidem** posuissent, nonne id agmen quo **obruta** haec urbs esset matronae auerterunt? Iam urbe capta a Gallis aurum quo redempta urbs est nonne matronae consensu omnium in publicum contulerunt? [10] Proximo bello, ne antiqua repetam, nonne et, cum pecunia opus fuit, **uiduarum** pecuniae **adiuuerunt aerarium** et, cum di quoque noui ad opem ferendam dubiis rebus **accerserentur**, matronae uniuersae ad mare profectae sunt ad **matrem Idaeam** accipiendam? [11] Dissimiles, inquis, causae sunt. nec mihi causas **aequare** propositum est: nihil noui factum **purgare** satis est. [12] **Ceterum** quod in rebus ad omnes pariter uiros feminas pertinentibus fecisse eas nemo

miratus est, in causa proprie ad ipsas pertinente miramur fecisse ? Quid autem fecerunt ?  
[13] Superbas, **me dius fidius**, aures habemus si, cum domini seruorum non **fastidiant** preces, nos rogari ab honestis feminis indignamur.

**6** [1] Uenio nunc ad id de quo agitur. In quo duplex **consulis** oratio fuit; nam et legem ullam **omnino** abrogari est indignatus [2] et eam praecipue legem quae **luxuriae** muliebris **coercendae** causa lata esset. Et **illa** communis pro legibus uisa consularis oratio est, et **haec** aduersus luxuriam seuerissimis moribus conueniebat; [3] itaque periculum est, nisi quid in utraque re uani sit docuerimus, ne **quis** error uobis **offundatur**. [4] Ego enim quemadmodum ex iis legibus quae non in tempus aliquod sed perpetuae utilitatis causa in aeternum latae sunt nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut usus **coarguit** aut status aliquis rei publicae inutilem fecit, [5] sic quas tempora aliqua **desiderarunt** leges, mortales, ut ita dicam, et temporibus ipsis mutabiles esse uideo. [6] Quae in pace lata sunt, **plerumque** bellum abrogat, quae in bello, pax..., ut in nauis **administratione** alia in secunda, alia in aduersa tempestate usui sunt.

[...] [10] Si ista lex aut antiqua aut **ideo** lata esset **ut finiret libidinem** muliebrem, uerendum foret ne abrogata incitaret : cur sit autem lata, ipsum indicabit tempus. [11] Hannibal in Italia erat, uictor ad Cannas; iam Tarentum, iam Arpos, iam Capuam habebat; [12] ad urbem Romam **admoturus** exercitum uidebatur; **defecerant** socii; non milites in supplementum, non socios nauales ad classem tuendam, non pecuniam in aerario habebamus; serui quibus arma darentur ita ut pretium pro iis bello perfecto dominis **solueretur** emebantur. [...] [16] Cui non apparet **inopiam** et miseriam ciuitatis, [et] quia omnium priuatorum pecuniae in usum publicum **uertendae** erant, istam legem scripsisse tam diu mansuram quam diu causa scribendae legis mansisset ?

## Victoire des femmes (livre XXXIV)

**8** [1] Haec cum contra legem proque lege dicta essent, aliquanto maior frequentia mulierum postero die sese in publicum **effudit** [2] unoque agmine omnes Brutorum ianuas obsederunt, qui collegarum **rogationi intercedebant**, nec ante abstiterunt quam **remissa** intercessio ab tribunis est. [3] Nulla deinde dubitatio fuit quin omnes **tribus** legem abrogarent. Viginti annis post abrogata est quam lata.